

Imperatorum, Regum, scilicet Berengarii, Ugonis, secundi, & tertii Ottonis, nec non Henrici præcepta adportantes nostram, interventu Poponis Patriarchæ venerabilis, & Brunonis nostri dilectissimi Præfulis, atque Kadehohi Episcopi, & nostri dilecti Cancellarii, humiliter adiit clementiam, postulantes quatenus nos pro Dei amore, nostræque animæ remedio, sibi, suæque Ecclesiæ subvenientes, omnia bona prædictæ Ecclesiæ, jam sibi per præcepta nostrorum antecessorum quæsitæ, vel confirmata, nostra regali auctoritate confirmare, & corroborare dignaremur. Et insuper omnia illa prædicia, castella, vel villas, quæ præfatus Episcopus scilicet Wido eidem Ecclesiæ dederat, tradiderat, vel concesserat. Nos itaque Dei Omnipotentis misericordiam considerantes, suamque supplicationem benignis auribus exaudientes, prædicto Episcopo suoque Præfule inibi pro tempore præsidenti quidquid a nostris antecessoribus, traditum, concessum, vel confirmatum est, sic castellum, quod dicitur Cavatorium, Tertium, Setebrium, sive Caxinam, cum districtione urbis, atque prædictorum castellorum in circuitu per tria milliaria ex omni parte, & cum plebibus, videlicet Ossima, Gamelarium, Veximo, Foro, Caurro, Seritello, cum terris, & decimis, earumque pertinentiis prout iuste, & legaliter possumus, concedimus, & corroboramus similique modo confirmamus capellam unam in honore sancti Vigili fundatam in corte Urba cum omnibus rebus, & familiis sibi pertinentibus, & castella Vidixionem, Mirabellum, Gruniardum, Pulsionem, Piretum, Meduliam, cum omnibus suis appendiciis. Confirmamus etiam, & omnino corroboramus prædicto Episcopo omnia illa prædicta, quæ jam dictus Episcopus eidem Ecclesiæ contulit per cartulam donationis, id quidquid habere visus est in eadem Aquensem civitatem, & de foris in territoriis eiusdem civitatis, in Seteuri, & in Melagio, tum in muro, & fossato circumdatam, cum sua portione ejusdem castelli, & villæ, sive cum omnibus territoriis suis, vel pertinentiis in integrum, cum omnibus superscriptis rebus, una cum casis, sediminibus, vineis, terris cultis, & incultis, pratis silvis, montibus, vallibus planitiebus, aquis, aquarum decursibus molendinis piscationibus, seu cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus, ac utriusque sexus familiis ad prædictum Episcopium, & ad præfatas curtes, & plebes pertinentibus. Præcipientes itaque jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, Vice-Comes, Sculdafius, Gastaldio, nullaque regni nostri, magna, parvaque persona audeat vel præsumat prædictum Widonem suosque successores de prænominatis rebus vel familiis inquietare molestare aut sine legali iudicio divestire, sed liceat eis per hanc nostram præceptalem paginam jam dicta castella cum sua districtione, & prædictas plebes, & Ecclesias, universasque earum pertinentias tranquillo jure possidere, omnium hominum contradictione, & diminutione penitus remota. Siquis igitur contra hanc nostræ concessionis, & corroboracionis auctoritatem aliquid agere, & jam dictum Episcopum suosque successores de prætaxatis rebus divestire

sine legali iudicio temptaverit sciat se compositurum auri optimi libras mille medietatem Camerae nostræ, & medietatem prædicto Pontifici, seu cuicumque inibi pro tempore præsidenti. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus observetur manu propria roborantes sigilli nostri impressione inferius insigniri præcipimus.

Signum D. Henrici serenissimi, atque invictissimi Regis. Kadolonus Cancellarius ad vicem Hermanoni Archicancellarii recognovit.

Dat. tertio Kal. jan. indict. VIII. anno dominicæ incarnationis MXL. anno vero ordinationis domini Henrici XII. regnanteque primo (1). Actum in civitate Ratisbonæ feliciter amen.

(1) Licet nulla hic de anno ambiguitas sit: tamen si modus annum computandi tunc temporis in Germania usitatus cum nostro conferatur, videtur, qui juxta illum esset an. 40. juxta nostrum esse 39. Anni enim inchoatio a nativitate Domini pendebat, ut late demonstratur in opere: *Art de Verifier les Dates troisieme edit. Paris 1783 in nois ad p. IX. Tom. 1.*

*Donatio B. Vidonis Episc. Aquen. Monasterio S. Petri a D. Dudone Episc. fundato ex autentico apographo anni 1349, 26 jun. Episcopi Guidonis jussu ab originali a IV notariis extracto, qui testantur istud manu propria B. Vidonis fuisse conscriptum*

M X L I.

17

In nomine Domini Dei nostri & Salvatoris Jesu Christi. Wido favente divina clementia sanctæ Aquensis Sedis Episcopus. Legendo reperimus, quod ab omnipotente Deo, qui cuncta clementia amicali fœdere facit vicissim succedere, illi homines in cælesti folio largis remunerabuntur præmiis, qui aliquam sanctam Dei Ecclesiam rebus ditaverit propriis. Hinc ergo exorando talia sequi cupimus vestigia priscorum patrum, in divinis lectionibus audientes exemplum, qui in supernis mansionibus esse cum Christo desiderantes ferventi amore psalmographi dicebant sententiam: *quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, sed deficit anima mea in atria Domini*; sed quia non tantum debet nobis esse posse, ut in spiritali opere desudemus, & quotidie, quia curis hujus sæculi implicamur, quarundam adversitatibus obsistentibus, unum tamen bonum opus, animæ nostræ corporisque salutem providimus, ut fratribus Deo apud Sanctum Petrum servientibus, & sub norma rectitudinis viventibus victum necessarium tribuamus, quo ipsi ad exorandum Deum pro delictis omnium fidelium, & nostri, nobis debitores se esse judicentur. Sit ergo notum omnibus Ecclesiis Dei, omnique Lajcorum fidelium conventui, quod Monasterium sancti Petri, quod in suburbio civitatis Aquensis, in qua auctore Deo sedem Pontificalem, quamvis indigne habemus, situm sicut a D. Dudone bonæ memoriæ antecessore nostro Episcopo, in primis aliquid de rebus, quas a genitore nostro jure proprietatis possidebamus pro remedio animæ nostræ, nostri genitoris, atque genitricis